



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate  
Libri Septem**

**Scardeone, Bernardino**

**Venetiis, 1542**

De crebra confessione, & consultatione cum amicis cap. xlvii

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30433**

facit, sed etiam ad studium sapientiae, & ad curandam  
rem familiarem plurimum confert. Preterea cauendum  
continentiae studiosis, ne supino cubitu, neve semisomno  
nes, & desidiosi in multum diem iaceat. Nec est id quoque,  
& si minimum videatur, prætermittendum: multum  
scilicet conducere ad sedandam tentiginem, pruritusq;  
molestiam tempestive post somnum exonerare uescā.  
Riserit hic fortassis aliquis uulgare præceptū: at est pro  
fecto non tam scitum, quām necessarium, neq; tam eru  
ditī doctoris, quām amici, & fidi monitoris consilium.  
Nam quiescentibus nobis urinæ collectio, quum capa  
citatem uelicæ compleuerit, tentiginem excitet necesse  
est, & subinde pruritum libidinis: qui quidem ut est reple  
tione excitatus, ita protinus evacuatione sedatur.

De crebra confessione, & consultatione cum  
amicis.

Cap. XLVII.

**I**Nsuper(ut ad spiritualia remedia transeamus, quæ  
potiora sunt)multum proderit ad præsidium castita  
tis, si uel mente, uel quod absit, opere deliquisse con  
tigerit, festina alicui probo sacerdoti facta expiatio pecca  
torum, & ei præsertim, cuius aut ferre censuram, aut opis  
tionem, quam de te habet, fallere plurimum uerearisi; ut  
quoties ad patrandum uitium stimulaberis, & Deum, &  
hunc expiatorem tuum semper ob oculos tibi propos  
nas: quatenus ita erubescas quicquam contra honestatē  
committere, perinde atq; hunc talem uitium semper ad  
esse conspicias, & tanquam Deum ipsum habeas specta  
torem: pro ut re uera ubiq; fueris, semper habes. Cer  
tum est enim q; in conspectu Dei peccas: qui ubiq; est, &  
cui latebræ nullæ sunt: qui in cœlis quum sit, speculatur  
terras, & intuetur abyssos. Hic pudor quādiu in animo  
durabit, displicebit peccatum, languebit uenus, & sedabi  
tur libidinis feruor. Expedit etiam crebro uel sacerdoti,

R R

## DE RATIONE COERCEN. LIBID.

uel etiam amico cuiquam fido, & optimo aperire univer-  
sas tentationes, ac inuolucra cogitationum tuarum, & su-  
per his consulere, & poscere tibi auxilia saltem pia, &  
quotidianæ precationis. Oportet enim quod saepius ma-  
le pullulat, saepius etiam succidere: ac si fieri potest tenes-  
ras platas euellere penitus, ac funditus extirpare. Nemo  
potest (michi crede) tutò cogitationes obsecenas, & pul-  
lulantia uitiorum germina intra se tacitus enutrire: multo  
etiam peius, si segetem messuerit aliquando turpisimæ  
sationis: & confidat suo ipsius marte, absq; alieno præsi-  
dio ab ea captiuitate posse euadere in libertatem: & es-  
torem suū ex seipso cognoscere atq; emendare. Quan-  
doquidem, ut senex ille terentianus dicit, maxime uerum  
sit: ita scilicet comparatam hominum naturam omniū,  
ut aliena mellus uideāt, ac iudicēt, q̄ sua: atq; ex eo fieri, ut  
in re nostra, aut gaudiō simus p̄pediti, aut ægritudine nis-  
mia. Quo circa cōmunicanda tam bona, q̄ mala nobis  
sunt, cū his, q̄ possunt & mala nostra leuare, & bona face-  
re meliora: atq; his ipsis patefaciendæ sunt oēs tentatio-  
nes: nec ullum occultandum malū, aut arcanū, quod nos  
bis aliqui posse officere. Facile quidem serpit, lateq; dife-  
funditur morbus, quem celes medicum: & ulcus latens,  
sanieq; oppletum magis excruciat, q̄ quod tempesiuē  
reuelatum chirurgo, uomica aperta, & putredine emissâ  
purgatnt. Confiteri ergo peccatum, & in temptationibus  
amicos consulere salubre profecto remedium est: con-  
tra uero dissimulare, & tacere, mortiferum. Nihil ægrius  
fert hostis antiquus, q̄ quum uidet dolos, & commenta  
sua patefieri, quibus ipse confidebat. Bona igitur est con-  
sultatio de quacunq; re, sed optima confessio uocalis, &  
sacramentalis peccatorum: quæ nobis frequenter est fa-  
cienda: quum hæc sit illa: quæ hostem fugat, concien-  
tiā purificat uires animi reparat, tristitiam discutit, atq;  
omne nubilum humani pectoris incredibili uirtute, &  
subita expiatione serenat.<sup>1</sup>